

## Alte Drucke

# CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMAE, EPISTOLA, 2. CORINT. 6.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295)

DOMINICA PRI. QVADRAG.

*Et flamma non ardebit in te, quia ego dominus Deus tuus, sicut  
Etus Israel, saluator tuus. Hinc Psalm. 36. Cum ceciderit in flus,  
non collidetur: quia dominus supponit manum suam. Item Psal.  
117. Impulsus eversus sum ut caderem, & dominus suscepit me.  
Asterum, quod omnes egroti vestis eius contactu, ab omnibus  
morbis curabantur: Quamobrem non in ipsis solum infirmita-  
tibus, sed in momento etiam mortis sperandum in eo. Nam &  
si ambulauero, inquit David Psalm. 22. in medio ymbrae mor-  
tis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

DOMINICA PRIMA QVADRAGESI-  
MAE, EPISTOLA, 2. CORINT. 6.

*Adiuuantes autem exhortamur, ne in va-  
cuum gratiam Dei recipiatis, &c. Finis Episto-  
lae: tanquam nihil habentes, & omnia possi-  
dentes.*



**E** tempore gratiae Dei in Christo nobis ex-  
hibita, tempore accepto, & die salutis, de  
quibus concorditer Prophetæ prædixerunt,  
praesertim Isaias 49. cap. agit hic Apostolus.  
Nam ineffabilia bona per Christum contigerunt, ma-  
ledictio nostra in illū reiecta, & benedictio eius tota ab  
illo in nos manauit, vnde & ad Christianam vitam am-  
plectendam, quam hic mira breuitate etiam describit,  
inuitat & hortatur, Tit. 2. Apparuit gratia Dei salua-  
toris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ut ab-  
negantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, &c.  
Tria autem sunt praesentis Epistolæ primaria capita,  
1. Primò, docet quanti periculi res sit abuti beneficio  
gratiæ Dei: quare hortatur fideles, ne in vacuum grati-  
am Dei suscipiant, neglectis Spiritus sancti donis, de-  
siderijs carnis inserviant, ad Tit. 2. Tanquam canes re-  
uerfi ad vomitum, & iues lotæ in volutabro luti, rursus  
crucifigant in semetipsis filium Dei, 2. Per. 2. Prouerbi.  
26. & ad Heb. 6. Intelligit autem Apostolus nomine  
gratiæ Dei, non vulgaria istæ tantum praesentis vitæ  
beneficia, quæ malis æquè ac bonis concedit Deus, sed  
eam quæ beneficio Christi consistit in redemptione à  
seruitute peccati, Rom. 6. & 7. in liberatione à malis

*Res pericula  
losa abuti be-  
neficio gra-  
tiae Dei.*

*Gratia Dei  
nomine  
quid intelli-  
gat Apo-  
stolus.*

culpæ, Galat. 3. & in absoluta remissione Peccatorum, Ephes. 1. Hoc enim est admirandum illud gratiæ beneficium, de quo locuti sunt Prophetæ, 1. Pet. 1. quo, scilicet, proposuit Deus ex singulari sua voluntate adoptare nos in filios per Christum, & qui per totam vitam obnoxij eramus seruituti diaboli, carnis, & mundi, quibus tanquam imperiosissimis dominis ad suam ipsorum voluntatem obtemperabamus gehennæ & iræ filij, effecit vt essemus sancti, & immaculati coram ipso, hoc est, hæres Dei, Rom. 8. cohæredes Christi, & consortes diuinæ naturæ, 2. Pet. 1.

*Gratiæ præcipuus effectus.*

Quo nihil præclarius accidere potuit mortalibus, cui quotquot ingrati fuerint, in pristina videlicet peccata relabendo, hi demum in vacuum sese eam recepisse demonstrant gratiam, quando is sit gratiæ primarius, & præcipuus effectus: non vt ex bonis faciat meliores, iuxta August. sed ex malis bonos: postea verò, iuxta Prosperum in Epist. ad Rufinum, per profectum ex bonis factura meliores, vt ex autoritate Prophetæ indicat Apostolus, pollicens quoddam in tempore accepto, & die salutis, hoc est, tempore noui testamenti, quo charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, per quem, dum sicut oportet oramus, exaudimur, operamur & adiuuamur.

*Credere & operari, hic opus est.*

Quia ergo iuxta B. Petrum 1. cap. 2. Hæc enim Episcopis nunc adest, hoc est, tempus & dies in qua respexit nos Deus salutaris noster, factu operæpretium est vt satisfaciamus admonitioni Apostolicæ, vt credamus, scilicet, & operemur benè, Iohan. 12. Adhuc ad breue tempus lumen vobiscum est, ambulate donec lumen habeatis, ne vos tenebræ occupent: Dum lucem habeatis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Et Apost. Gal. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum: Beatus hic in facto suo erit, qui Apostolo fuerit obsecundatus.

*Differentia temporis noui testamenti.*

2. Secundo, Ostendit Apostolus differentiam temporis noui testamenti, quo reuelata est gratia Euangelij per Christum in quo reconciliati sumus Deo per mortem eius: per quæ accessum habemus ad patrem, per quem gratia & veritas facta est, Ioha. 1. Zach. 13. pignus & arrabonem æternæ vitæ, scilicet Spiritum sanctum, accepimus.

Hæc enim, aliâque immensa per Christum collata Ec-  
clesiæ beneficia significat Apostolus per *μετ' αὐτοῦ*, tē-  
pus, ac dies salutis, pro Christo, qui author est omnis sal-  
utis, nouissimis istis diebus singulari patris beneuolen-  
tia exhibito, ponens. Etenim de illo testatur pater, Mat-  
th. 3. & 17. quod in illo sibi complacuerit, aded vt non  
possint non esse accepti propter ipsum, quotquot rena-  
scuntur ex aqua & Spiritu sancto. Ioan. 3. & fide per di-  
lectionem operante credunt. 1. Pet. 2. quotquot factores  
legis fuerint, & non auditores tantum, Iac. 1. atque non  
timore tanquam serui sub lege, sed amore, tanquam filij  
sub gratia constituti, legi obedierint.

*Hebr. 1.  
Author sal-  
lutis Chri-  
stus.*

Sunt enim hi veri palmites in vite manentes, propter  
occultam illam communicationē Spiritus sancti, quos  
caelestis ille agricola licet purget, variis nimirum affli-  
ctionibus, tum externis, vt morbis, penuria, fame, exilio,  
morte, tum internis, vt dolore, tentationibus variis, an-  
xietate conscientiæ, &c. non id tamen aliâ de causa fa-  
cit, quàm vt fructus plus adferant, Ioan. 15. Neque enim  
suos Dominus affligit vt perdat, sed vt sanet: aded vt li-  
cet quandoque negligere videatur suorum preces, ma-  
gis ipsorum fidem & inuocationem excitet: atque vt ag-  
noscant ex hac Apostoli doctrina nunc esse tempus  
acceptabile: quo scilicet, antequam clament, exaudian-  
tur, Isa. 65. Si tamen vt oportet, orauerint, scilicet, in  
nomine Christi, Iohan. 16. ex fide, spiritu, & mente, Iac.  
1. 1. Corinth. 14. Iohan. 4. instanter, & perseueranter,  
Matth. 7. Luc. 11. Tales etenim quam in spiritu & veri-  
tate adorent propter Christum, exaudiuntur à patre,  
tum etiam propter inhabitantem spiritum eius, Rom.  
8. qui docet quid & quomodo orent. Siquidem ita vi-  
tam instituunt, vt ipsos pater aternus exaudiat inuocan-  
tes, adiunet dimicantes, & erigat labentes.

*Dominus  
suos non af-  
fligit vt per-  
dat, sed vt  
sanet.*

3. Tertio, Christianæ vitæ formulam proponit omni-  
bus, Primo, Verbi Dei ministris, quales sunt Episcopi,  
Pastores, & Concionatores: Quos vult Apostolus esse  
formam gregis ex animo, 1. Petri 5. Imitatores Chri-  
sti, vt filij charissimi. Ephes. 5. Operarios inconfusibiles,  
2. ad Timot. 2. Siquidem hos posuit in Ecclesia Spiritus  
sanctus, quam acquisiuit Christus sanguine suo, Act. 20.

*Ministri  
verbi Dei  
vitæ forma  
prescribitur.*

DOMINICA PRIMA

nimirum in ædificationem corporis Christi, in consummationem filij Dei, Ephes. 4. donec occurramus omnes in vnitatem fidei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Deinde promiscuis fidelibus, quorum est acceptam semel fidei professionem conseruare: Sacramenta Ecclesiastica, certissima salutis nostræ symbola amplecti, & reuerenti in ea vocatione, in qua vocati sunt, permanere, 1. Corinth. 7. & obedire præpositis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dycolis, 1. Pet. 2.

Falluntur enim grauiter, qui eadem esse munia volunt plebis, quæ pastorum: aut omnem, non tantum vitæ, sed & fidei, libertatem esse passim concedendam, quando, vt quotidiana docent exempla, non abundè magis serpat morum corruptela, quàm ex fidei licentia, qua passim fit, vt quot sint capita, tot sint sententia, vt vel hæreticorum paradoxa abundè testantur, qualia sunt, solam fidem sufficere ad salutem, iustum in omni opere bono peccare, baptismum, aliâque sacramenta esse futilia hominum commenta, & id genus multa. Ex quibus quanta secuta sit in Repub. Christiana morum corruptela, passim omnes sentiunt, nec tamen dolent. Atqui longè aliter Paulus sentit, qui id ipsum dicant omnes, & non sint in eis schismata, sicutque perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia, 1. cap. 1. Qui & hoc loco omnium fidelium vitam talem esse vult, vt nemini dent ullam offensionem, ne ijs quidem qui occasionem quarunt maledicti gratia, vt non vituperetur ministerium: siquidem hoc in ignominia cedit creatoris, iuxta illud, Propter vos nomen meum blasphematur. Isa. 52. Sed potius vt in omnibus exhibeant se sicut Dei ministros, obediendo videlicet illius præceptis, ex verbi Dei præscripto, vitam instituendo, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, &c. Quod an nostri faciant Sardanapali, ipsi viderint. Certè nihil minus apud ipsos inuenias quam eas virtutes, quas hic enumerat Apostolus. Si quidem prociuius amplectuntur Gastrimargiam, pro castitate libidinem, pro necessitate abundantiam, pro patientia

*In vocatione qua vocati suam per manendum.*

*Libertas vitæ & fidei passim omnibus concedenda non est.*

*Fidelium vita sine offensione esse debet.*

*Sardanapali nostri à virtutibus Apostolicis alienissimi.*

indignationem, pro charitate odium, pro Spiritu sancto spiritum soporis & vertiginis, pro scientia ignorantiam, &c. Ad eod nihil est sani in tota vita ipsorum, vt facile agnoscas quam sint à spiritu Christi alieni.

EPILOGVS.

In lectione hac hortatus est nos *Apostolus ad vitam Christianam*, quæ in duobus sita est, actione nimirum & passione: ad vitam & idcirco etiam docuit quo pacto in vtraque nos gerere pie debeamus. Vt autem hortatio huiusmodi eo penitus animis nostris insideret, duas proposuit causas mouentes. Quarum prior est gratie oblatio, altera temporis opportunitas. Oblatio quidem gratie, quod iam abunde in nos Dominus misericordiam suam & effuderit & effundat per fidem in Iesum Christum. Opportunitas verò temporis, quod (quandiu hic agimus in viuus) tempus sit acceptabile, & fructiferum, diesque adsint salutis. Hu igitur moti causis, hanc Pauli parenesin & auidè audire, & factu exprimere pro virili oportet. Nec enim satù est, quod diuina gratia semel prauis facinoribus exempti, & ad salutem admissi sumus, si deinceps ad pristinam vitam reuertamur: sed oportet gratiam semel acceptam mordicus retinere: siquidem salutis veræ ac æternæ velimus esse capaces. Nam vt non minor est virtus tueri partas opes, quam eas corrodere: ita nec minoris virtutis est retinere conseruareque: acceptam gratiam, quam comparare eandem. Apoc. 3. Ecce venio citò: tene quod habes vt nemo accipias coronam tuam.

DOMINICA PRIMA QVADRA-  
GESIMAE, EVANGELIUM,  
Matth. 14.

Tunc Iesus ductus est in desertum à spiri- *Marc. 2.*  
tu, vt tentaretur à Diabolo, &c. Finis Euan- *Luc. 4.*  
gelij: & ecce angeli accesserunt, & ministra-  
bant ei.

**E**VANGELIUM hoc duabus potissimùm  
de causis huic Dominicæ assignatum est,  
Primò, vt Christiani nos statim in exordio *Ieiunij no-*  
ieiunij nostri certum fundamentum & ob- *stri funda-*

mentum ex *Euangelio* *petitur.* ictum haberemus. Deinde vt admoniti simus aduersus infidiosos insultus Diaboli, cōtra quem potissima arma sunt ieiunium, precatio, & gladius spiritus, quod est verbum Dei, Matth. 17. Ephel. 6. Qui, vt hīc patet, tunc vel maximē seuit, cum eius regnum impetimus, aut eius potestati nos subtrahere conamur. Proponit autem triplicem Christi cum Satana conflictum, quem non sui ipsius, sed nostra omnium causa suscepit.

*Tentatur*  
*Christus de*  
*cura & so-*  
*licitudine vi-*  
*ctus.*

*Tentatus est*  
*Christus no-*  
*bis.*

*Nisus Sa-*  
*tane aduer-*  
*sus Christi.*

*Technis qui*  
*bis nos ten-*  
*ret Diabo-*  
*lus.*

I Est autem primus conflictus de cura & solitudine victus, & diuitiis comparandis, quibus victui & necessitati succurratur. Christus enim ea ratione ductus fuit à Spiritu sancto in desertum, famelicus & esuriens factus est, ieiunio 40. dierum exhaustus & defatigatus est, vt ab immanissimo Satana tentaretur, hoc est, propter nos tentationes pateretur, & eas vinceret ipse nobis, tum nos quoque per ipsum vincere disceremus. Vnde non tantum exempli causa tentatus est, sed & in hoc vt per hanc victoriam nos vinceremus. Omnes enim victoriæ, omnes triumphi Christi, omnium credentium in Christo sunt. Vnde & in Euangelio dicit, Confidite, ego vici, Ioan. 16.

Diabolus ergo occasionem nactus adoritur Christum: quanquam dubius de successu, quodd sciret sanctissimos illos Moſen, Exod. 34. & Heſiam, 3. Reg. 19. (de quorum tamen humanitate non dubitauit) similem incediam sustinuisse. Nititur autem Christum ad ducere in diffidentiam, pusillanimitatem, & desperationem, qua victus discedat à fiducia, quam habebat erga patrem, penes quem est omnium rerum providentia & cura, Sap. 6. Atque eisdem prorsus technis indies fideles opprimit & tentat, quos inopia rei familiaris, penuria, paupertate, & agritudine oneratos perspexit: quibus nihil æquè molitur, quàm fidem de promissionibus diuinis eximere, ex presenti calamitate conuincere cupiens Deum ipsorum curam abieciſſe, atque idè licere malis artibus, scilicet, fraudibus, periurio, imposturis, deceptione, & vsuris, rem familiarem augere, necessitati succurrere. Hoc est enim quod ait: Dic vt lapides isti panes fiant.

Sed Christū imitentur fideles, fidant diuinæ promissioni, inserviant vocationi, quarant regnum Dei & iustitiam eius, &c. Matth. 6. Denique resistent Diabolo, & opponant illi, quod opposuit Christus: nimirum, *Non in solo pane vivit homo*, &c. sic fiet vt fugiat ab eis, atque cum confusione discedat, Iac. 4. Ephel. 4. 1. Pet. 5.

2. Secundus conflictus est de comparanda humana gloria, sed rationibus illicitis, ac verbo Dei prohibitis, dum ait: *Si filius Dei es, precipitate deorsum, Nam scriptum est Psal. 90. Angelus suis mandavit de te*, &c. Pari modo Christianos etiam subinde vana gloria tentat, vt immittat presumptionem cogitationis sanctæ de semetipsis, & quasi singularibus donis frui meritò debeant præ aliis, quati plura meruerint, quàm cæteri homines. Verùm huic resistant oportet fideles, sumentes armaturam Dei, vt possint in omnibus perfecti stare: nempe, vt monet Apostolus Ephel. 5. induere lorica m iustitiæ, calceare pedes in præparationem Euangelij pacis, sumere scutum fidei, galeam salutis assumere, gladium spiritus arripere, quod est verbum Dei. Est enim nobis colluctatio non aduersus carnem & sanguinem tantùm, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Neque vlla ratione nobis cessandum est, nunquam enim cessat hostis, sed vt leo rugiens circumit quærens quem deuoret. 1. Pet. 5. Si enim semel, bis, terque victus, ne sic quidem abstinerit a Christo, quia secundum Lucam 4. cap. recessit ab illo vsque ad tempus, multò minus à nobis delisset. Vt autem prætextu verbi Dei Christo præcipitium per-

suadere conatus est, vt sic patrem cælestem tentaret, suis viribus nimium tribueret, ac auram captaret popularem, ac si diceret: Video te bona omnia persuadere tibi de Deo Patre, adeò vt nec in esurie ipsa de eius cura addubites. Quum ergo huic maxima de te cura sit, securus esto, nullum timeto discrimen, ideòque confidenter te deorsum præcipitato. Nam scriptum est: *Angelus suis*, &c. ita etiamnum piis omnibus spe conciliandæ existimationis suggerit falsarum opinionum paradoxa, abusuum defensionem, acamenta seditionum.

*Fideles Christi in tentatione imitari debent Deut. 8.*

*De gloria humana tentatur Christianus.*

*Christianos quomodo vana gloria tentent Satanas.*

*Arma Christianorum contra Satane tentationes.*

*Nunquam in p. alio cessat hostis semper nobis importunus est.*



Hi enim reuera sese de pinnaculo templi deiciunt, qui captiui à diaboli laqueis veritatem Dei in mendacio detinent, & fidei, sacramentorum atque scripturarum integritatem peruertunt, Ecclesiae vnitatem doctrinis variis & peregrinis scindunt: non tam ventris quam existimationis causa, vt infœlici hoc nostro seculo, damnosis haud dubiè impulsu sese deiecerunt, quotquot sunt nouarum opinionum architecti: quales sunt ferè primarij: Lutherus, Svinglius, Ocolampadius, Brëtius, Caluinus, Beza, Vireus, S'ueheldius, Muncerus, & Mëno Frisius: Qui propria perditione non contenti, sectas non metuunt introducere: atque vt hic Satan, prætextu scripturarum, tanquam pellibus ouinis, eas fidelibus obtrudunt: pari prorsus ratione, ea nimirum ex scripturis supprimentes, quæ causæ suæ officere posse perspiciunt. Nec hoc mirum iuxta Apost. 2. Corinth. 11. Ipse enim Satanas transfiguratur se in angelum lucis: non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum.

*Opinionum  
nouarū ar-  
chitecti de  
templo sese  
deiciunt.  
Sectarij pro-  
pria perdi-  
tione non cō-  
tenti, &  
truncatim  
scripturas  
afferunt &  
omittunt.*

*Intellectu  
scripturarū  
vero, scriptis  
falso addu-  
ctis resisten-  
dum.*

*Dent. 6.*

*De habendi  
cupiditate,  
dignitate, et*

Atqui Christum imitentur fideles, ac clauum clauo pellant, scripturis perfidè citatis, verum scripturarum intellectū opponant, quem videlicet intellectum Ecclesia semper, vbique, ab omnibus defendit, hoc est, quæ Christiani orbis vniuersitas, antiquitas & consensus est tutata. Sic enim fiet, vt non facilè erroribus seducantur. Atque vt in promptu habeant semper contra quancūque tentationem peculiare antidotum, verbum Dei & sedulo audiant, legantque, & diligenter retineant, necnon cuique aduersario hoc pacto respondeant. Tu qui scripturam perperam adduxisti, audi vicissim clarissimum scripturæ locum: *Non tentabis dominum Deū tuū: Quare tu scriptura detorta mones, vt in scripturam peccem? &c.* Sic nimirum fiet, vt quemadmodum diabolus à Domino discedere cum pudore coactus est, ita & aduersarius in Domini potentia victus, discedere cogatur.

3 Tertius confictus est, de adipiscenda dignitate & potentia in hoc seculo, de habendi cupiditate & diuitiis, hoc est, ambitione, cupiditate regnandi, & pollicitatione regnorum. *Hæc omnia, inquit, tibi dabo, si prostra*

*Deus adoraveris me.* Sic enim fieri solet in nobis, malo scilicet illo genio, seu dæmone potius impellente, ut dum satur Chri- sufficiens est paratus victus, qui necessitati sufficiat, mox *stus.* irreat dominandi affectus, qui nos subinde ita trāsuer-  
 fos rapit, ut honestatis, pietatis, religionis, fidei, & ami- *Dominandi*  
 citæ nullam profus rationem habeamus: quo fit ple- *affectus in*  
 rúnque ut amicus amico tendat insidias, imò filius sub- *qua mala*  
 inde patri, socer genero, filia matri, & affinis affini exitiũ *nos rapiat.*  
 parer. Cuius rei exempla tam ex sacris, quàm prophā-  
 nis peti possunt: Absalon cupiditate regnandi victus,  
 patri insidias straxit, 2. Reg. 15. 16. 17. Esau fratri suo Ia-  
 cob, Gen. 27.

Sed obseruandum est quibus conditionibus huic malæ nostræ cupiditati sese satisfacere polliceatur: Si nimirum ante ipsum cadentes, adorauerimus: inuidet enim Deo suam potentiam, maiestatem & gloriam, cãm- que sibi vindicare conatur, falsò dicitans sese mundi principem, ac monarcham. Hinc nihil intentarum relinquit, quo nos à fide in Deum abalienet, & ad se colendum pro Deo permoueat. Sicut autem Deum adorat, qui ipsi legitimum honorem & timorem impendit, scilicet, toto corde, tota mente, & tota anima diligens, ipsius promissionibus fidens, mandatis obediens, minas metuens: ita & huic dæmonis præcepto obtemperat, qui legitima vocatione relicta, ut existimationem sui apud alios obtineat, hæreses docet, schismata suscitatur, Dei præcepta contemnit, ac seculi mores amplectitur. Denique animam ipsam venalem circumferunt, quos hæc inuasit ambitio: ex hac misera Reipublicæ Christianæ facies nascitur, qua sursum ac deorsum tam in Rep. quàm in religione voluntur omnia. Siquidem exemplo Christi, rari sunt qui gladio spiritus Satanæ resistant, verbo Dei obtemperando: Temperantiæ laus est abolita, nemo se non admiratur, & adorat suæ sapientiæ idolum, sua latifundia nemini sufficiunt, ad proximi vicini arua adspirat quisque, deficiunt miseri à bono ad malum, quod est ante Satanam cadere: Student avaritiæ, quod est diabolus adorare, Velocius in stadio diaboli currunt, quàm incitantur. At Christus avaritiæ & idololatriæ opponens manifestum Dei præceptum de

*Dei gloriã,*  
*potentiam*  
*& maiesta-*  
*tem sibi vè-*  
*dicare cona-*  
*tur diabolus.*

*Ambitiosè*  
*animam ve-*  
*nalem circũ-*  
*ferunt.*

*Ante Sa-*  
*tanam ca-*  
*dere & eum*  
*adorare què*  
*dicantur.*

## DOMINICA PRIMA

*Deut. 6. & 10.* solo Deo adorando, docet ne vel diuitias, vel honores, vel creaturam ullam præferamus Deo, sed ipsum vnum agnoscamus verum Deum, in ipsum solum credamus, ei vni fidamus, ipsum ante omnia diligamus, colamus, timeamus, inuocemus, i. Timoth. 1.

*Angeli ad ministrato-  
rij spiritus  
& custodes  
nostri.*

*Augustini  
sententia de  
angelorum  
ministerio  
obseruanda.*

Postremò verò audiuius, repulso diabolo, venisse angelos Dei, ac Christo ministrasse. Hinc eam pij accipiunt doctrinam & consolationem, quòd non deserturus eos sit in tentatione Dominus, neque vltra vires suas tentari permissurus, i. Corinthior. 10. sed & incrementum daturus eis, & liberaturus eos, ac per angelorum ministerium eos custoditurus, ne impingant ad lapidem pedes suos, Psalmo 90. De hoc ministerio angelico obseruandum, quod S. Augustinus commemorat in Soliloquiis: Insuper, ait, facis angelos tuos spiritus propter me, quibus mandasti, vt custodiant me in omnibus viis meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt custodes super muros ciuitatis tuæ nouæ Hierusalem, & montes in circuitu eius, vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem tuum, ne quando rapiat vt leo animas nostras, dum non esset qui eriperet: Ille antiquus serpens aduersarius noster diabolus, qui quasi leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Hi sunt ciues beatæ ciuitatis supernæ Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis: vt eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus viis, confortent quoque & moueant, & orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ maiestatis tuæ. Diligunt nempe conciuies suos, per quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectant: ideòque magna cura & vigilantia studio assunt nobis omnibus horis & locis succurrètes & providentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos & te domine, gemitus nostros atq; suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilitè tuæ benignitatis propitiationè, & referât ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionè. Ambulant enim nobiscum, attentè considerantes quàm piè, quàmque honestè in medio prauæ nationis conuerseremur, quâtoque

studio & desiderio quaramus regnum tuum & iusticiam eius, quantoque timore ac tremore seruiamus & exultemus tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus, compatiuntur patientibus, pro te, inquam, patientibus. Grandis est cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis eorum erga nos. Et hoc totum propter honorem tuæ inexstimabilis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis, custodiunt quos tu custodis, & deserunt quos tu deseris: nec diligunt operantes iniquitatem, quonia & tu odisti operantes iniquitatem, & perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus gaudent angeli, & tristantur dæmones. Quoties à bono deuiamus, diabolum latificamus, & angelos tuos tuo gaudio defraudamus. Gaudium enim est eis super vno peccatore penitentiam agente. sed diabolo super vno iusto penitentiam deserente. Hunc præsentem locum, quisque diligenter attendat, certò sibi inde persuadens, si vitando ea quæ in mundo sunt vitia, diabolo restitit, angelos qui ipsi in huiusmodi certamine adfuerunt adiutores, adhuc etiam sibi adesse custodes & congratulatores, & propediem adfore coronatores.

*Cura angelorum de nobis, & affectus erga nos grandis.*

EPILOGVS.

Audiuimus principio statim à suscepto baptisinate, ac lum esse Dominum Iesum à Spiritu suo desertum, vt tentaretur à diabolo. Hinc edocli sumus, primo, quòd nec nobis post baptismum sit aliud expectandum certius, atque tentatio diabolica, iuxta illud Sapientis, Ecclesiasti. 2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sit in iustitia & timore, & prepara animam tuam ad tentationem. deinde, quòd non sit signum irati Dei, sed diuina permissio ad Tentationes nostram salutem, quando tentationibus exponimur, Rom. 5. Iac. 1. permissum est Secundo, audiuius tentatum esse Dominum in deserto, quum ieiunasset, quum que esuriret ita: Inde nimirum discendum nobis salutem. nit, cum omnium maximè tentari nos à Satana, quando à prauo seculi consortio semoti sumus, ac sili vacamus rebus oiuinis, quando item ieiunamus ac maceramus carnem, quando denique inopia rerum laboramus. Nam eos qui in medio prauorum conuersantur, qui comestationibus & ebrietatibus indulgent, quique in abundantia rerum omnium agent, intentatos ille sinit, quòd nempe,

*A baptisinate tentatio expectanda. Sicut tentatio expectanda. Sicut tentatio expectanda.*

FERIA SECUNDA

sponte sua voluntatem eius faciant. Caterum accepimus quibus  
saculis petierit Satan Christum, nimirum tribus, ventris cura,  
seu crapula, superbia, seu arrogantia, & auaritia, sub quibus se-  
ne tribus, omnes tentationes comprehenduntur, imò è quibus sca-  
turiant mala omnia. Nam quicquid (vt inquit Iohannes I. cap.  
2.) in mundo est, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia  
oculorum, aut superbia vitæ. Item quibus armis illa retruderit, &  
tentatorem vicerit, eumque à se abegerit, scilicet, ieiunio, preca-  
tione, & gladio Spiritus, quod est verbum Dei. Quoties igitur &  
nos adoritur ille, taliæque iacula in nos detorquet, hoc est, ad de-  
sperationem, nimiam confidentiam, & idololatriam nos sollicitat,  
sumamus ante omnia gladium spiritualem verbum Dei, ac fidei  
scutum, extinguemusque omnia eius tela ignea. Etsi enim nos  
natura non tam fortes sumus, vt pares esse possimus illius machi-  
nis, quia tamen Christus vires eius egregie pro nobis fregit, per  
hunc possumus omnia, Philip. 4.

*Arma, qui-  
bus diaboli  
Christus a-  
begerit.*

FERIA SECUNDA HEBDOMADAE  
PRIMAE, EPISTOLA, EZECHIELIS 34.

*Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego ipse su-  
per pastores, requiram gregem meum de manu  
meorum, &c. Finis Epistolæ: & pascam il-  
las in iudicio.*

*Pastores  
mali capti-  
uitatis Ba-  
bylonica  
causa.*



VT A literam liberatio ex captiuitate  
Babylonica hic prædicitur, cuius pastores  
vtriusque status, chori & fori moderatores,  
ocordes & pessimi, præcipua causa fuerit:  
Sed per eam Ecclesiæ regnū adumbratur, Christi-  
usque verus ac bonus pastor præsignatur, de cuius officio in  
hac Epistola agit Propheta. Quia enim semetipfos pas-  
cebant pastores, ouibus passim luporum moribus re-  
lictis, pollicetur Deus ouium suarum se rationem  
habituraum, grauissimæque exhortatione & commina-  
tione vtriusque status optimates excitat & vrget. Tria  
autem proponit Propheta.

*Bucolica  
metaphora  
promittitur  
Christus*

I Primò, Bucolica quadam metaphora promittit se,  
oues suas, ab æterno scilicet prædestinatas, quaesituras,  
quarum & si nulla perire potuit, erant tamen per pa-  
storem Christum, in quo electæ sunt ante mundi con-  
stitutionem